15.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI:

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS WILKIE,

Scotus;

CHIRURGUS.

———— happy work!
Which not ev'n critics criticise.—COWPER.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

To
William Graham
with best Compts
from
The Auth.

VIRO OPTIMO

GULIELMO AITCHISON,

ARMIGERO, DE DRUMMORE,

AVUNCULO CARISSIMO,

HASCE SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI

MULTA PROPTER BENEFICIA,

GRATISSIMI,

LEVE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

INSCRIBIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

AUCTORE GEORGIO WILKIE.

PROŒMIUM.

Beato almae naturae consilio, aëris omnium regionum vicissitudines institutae sunt. Absque enim hisce alternationibus, jovis ambientis elementum, utcunque purum, stagnaret, putresceret; saltem marcesceret, dotesque noxias acquireret, ut multis philosophorum tam experimentis quam ratiociniis satis constat. Quinimo pulchrae tempestatum vicissitudines, veris, aestatis, autumni, hyemis, quibus nihil vitae animali ac vegetabili gratius vel commodius esse potuit, inde omnino pendent; atque " gra-

"tae vices veris et Favonii" non aliam agnoscunt originem.

Nihilominus, haec naturae providae beneficia suis incommodis non carent. Saepe enim, propter mutatum jovis aequilibrium, aëris alternatio fit magis subita, quam corporis humani conditio praesens, vel vitae civilis necessitates tuto pati possunt. Quo enim plus agunt vasa sanguifera et genus nervosum, eo mobiliora evadunt: atque sub exercitatione, vel aëre calidiore, utraque compago ad velociorem actionem cietur. Si vero his conditionibus praesentibus, subitum frigus vel rarefactio ingens accedit; frigus quod fibram omnem animalem potissime adstringit, vascula summae cutis necessario contrahit, secretionem eorum imminuit, sudorem eapropter reprimit, et innumeris malis vitiisque originem praestat.

Hujusmodi sunt omnes fere *Phlegmasiae* CULLENI; *Febres*, *Profluvia*, *Alvi fluxus*, *Colica*, *Cutis vitia*, *Paralyses*. Horum autem

longe frequentissimae sunt Phlegmasiae, exque Phlegmasiis Rheumatismus. Neque vero sola frequentia inter Phlegmasias Rheumatismus eminet; namque vitae licet minus infestus, misere tamen victimas suas torquet, in morbosque graviores facile et crebro conjicit. Igitur, non mihi crimini dandum putavi, si hoc, tam grave malum, pro argumento tentaminis mei assumpserim.

DE RHEUMATISMI HISTORIA.

Rheumatismus vocabulum haud Plinio antiquius, a verbo Graeco Ῥύω *fluo* manifeste derivatur, atque humores in partem affectam incubuisse significat. Morbus tamen apud veteres haudquaquam incognitus fuit; sed Celsus, et Hippocrates, quem ille sequitur, plerumque cum morbo articulorum confundere videntur; hoc est, cum podagra, de qua ut etiam hodie discernatur, summâ

opus est curâ. Apud ARETÆUM et medicos Graecos recentiores, saepenumero occurrit, nec inter arenas suas torridas Arabes neglexisse videntur. Nihilominus, ante SYDENHAMUM quidem et clarissimum BOERRHAAVIUM, morbus a caeteris qui articulos infestare solet, non bene distinctus est; adeo quidem ut magno huic viro plena Rheumatismi enucleatio debeatur. Vocat quidem "morbum frequentissimum Arthritidi, Podagrae, Scorbuto agnatum."*

Tunc subnexit definitionem utique haud malum, sed temporum eorum more, nonnihil pathologiae humoralis secum attrahentem. Cl. SAUVAGESIUS in Nosologia sua rem diligenter elaboravit. Definit ita: "Est diuturnus musculorum in artibus potissimum dolor, sine coryza, raucedine, ac rheumate."† Viginti tamen quatuorque species fecit, longa varietatum causae sedisque ostentatione; duae autem ejus primae

* Aph. 1490. † Morb. IV. 33.

species, Rheumatismus acutus, et R. vulgaris omnes species ejus notatu dignas comprehendunt. Reliquae ut dixi, aut ineptae aut inutiles sunt.

Cullenus vero longiore quidem sed accuratiore definitione morbum depinxit: "Morbus ab externa et plerumque evidente "causa; pyrexia; dolor circa articulos, mus-"culorum tractum sequens, genua et reli-"quos majores, potius quam pedum vel ma-"nuum articulos infestans, calore externo "auctus."

Quandoquidem morbus duas saepe formas induat, acutam et longam, plerique scriptores in R. acutam et R. chronicam diducunt. Cullenus vero an diversa causa exoriantur ambiguus, pro speciebus vel generibus diversis ponere noluit, sed chronicam formam acutae hisce verbis subnectere maluit, nomine, ut ipse autumat, non inepto Arthrodyniae superimposito. "Rheumatismi sequela "est,

" *ARTHRODYNIA.*

" Post Rheumatismum, nisum violentum, " vel subluxationem; dolores artuum vel " musculorum, sub motu praesertim, aucti, " plus minusve fugaces, calore lecti vel alio " externo levati; artus debiles, rigidi, facile " et saepe sponte frigescentes; pyrexia nul- " la ; tumor plerumque nullus." Hae quidem duae definitiones, species Rheumatismi supradictas satis bene interstinguunt. Quum vero saepe accidat, quod Arthrodynia Rheumatismi acuti sequela sit, lento tamen gradu in posteriorem prior transire consuevit, ut vix vel ne vix quidem limites indicari possunt. Nihilominus distinctio tam sensu practico, quam pathologico, perutilis est, ac suo loco recensebitur. Tempus monet ut morbi historiam subnectam.

Ut caeterae Pyrexiae, ita Rheumatismus ab horroribus, lassitudinisque sensu; nonnunquam algoris, per dorsum et membra majora propagati, accedit. Paulo post calor solito vehementior, sitis, molestia quaedam ac inquies, motus omnis vel conatûs impatiens, superadditur. In majore gradu oscitatio, brachiorum pandiculatio, etiam spiritus difficilis; praesertim si morbus musculos thoraci obductos occupaturus sit. Pauculis eodem fere tempore cum frigore, vel paulo antequam inhorruerint, vomitus fit, saltem ad hunc molimina, et nausea. Rarior tamen hoc morbo quam aliis pyrexiis videtur; atque, verisimile est, fortuitâ quadam pendet causâ. Pulsus concitus, durus, plenus; sanguis detractus crusta coriacea alba contegitur, quae saepe in centrum quoddam contrahi videtur. Cutis calida et saepenumero arida existit, ita tamen ut exempla haudquaquam rara dentur, quibus sudor viscosus, frigidulus, copiose sed inaequaliter per membra, toto morbi curriculo erumpit. Quae hujus diversitatis causa sit, minime constat. Sudor utique

non criticus est, nec dolores minimum delinit: quin gravissimos saepe cruciatus comitatur.

Facies modo pallida, modo rubra; sed decedente febre semper pallida; lingua alba est, alvus plerumque adstricta, licet nonnunquam naturalis, paucis laxa; nonnullis scybala cum justo stercore descendere videntur, absque vero morbi levamine.

Urina, quod ad copiam et colorem attinet, diversissima. Aliquando enim rubra, parca, acris, nihil demittens: alias roseum quiddam pulcherrimum matulae illinit; atque in Arthrodyniam converso morbo, febre abacta, materiam quam sedimentum lateritium plerumque vocant. Prius illud ex urina dejectum acidum rosacicum esse: Posterius vero acidum uricum, cum phosphate calcis concopulatum chemicorum pericula monstrant. Quinimo urinam nihil praecipitantem protinus sub initio morbi visam, copiosum quiddam dejicere si chloridum

Hydrargyri, addas, jamdudum ostendit CRUICKSHANK,* necnon FOURCROY.† Nimirum in omnibus fere inflammationibus albuminis nonnihil urinae addi solet; atque hoc principium chlorido hydrargyri precipitari nemo ignorat.

Hujus vero morbi, dolor ac molestia signum praecipuum est. Multis quidem exemplis primum quoque indicium est; atque multivagus, circumcirca per corpus volitat, quasi sedem futuram selecturus. Violentiâ hujus doloris nihil incertius est. Alios quidem summo cruciatu extorquet, ut prae dolore palam vociferare coacti sint. Alios haud ita graviter habet, cum febre plus minus ingravescens. Musculos voluntarios praesertim afficit, ante reliquos cuti propriores, quippe qui coeli injuriis magis pateant.

Pari ratione membrorum superiorum ac inferiorum musculi plerumque afficiuntur;

---

* Phil. Mag. II. 240. † X. 166.

maxime circa articulos. Nec tamen aliae partes immunes; caput, cervix, dorsum, pectus, abdomen, lumbi, perinaeum, carpus, tarsus, identidem laborant. CULLENUS tractum musculorum sequi docet; sed raro hunc cursum indicatum vides. Proculdubio de alio in alium musculum saepe migrat, majores prae minoribus articulos corripiens, aponeuroses demum et tendines. Pressu motuque partis augetur, et sensum quasi rigiditatis cum dolore impertit. Minime vero sibi constans est, ut aliarum inflammationum, vacillat, reciprocatque magis etiam vehementia quam sede. Febrem inter ac dolorem consortium quoddam intercedere videtur; nam febris vespere ingravescit, deinde totam per noctem urget tum etiam sedem maxime mutans.

Aliquando musculos non voluntarios laryngeos, intercostales, diaphragma, cor ipsum, occupare visus est Rheumatismus. Alias subito ad viscus aliquod internum transfertur; ad cerebrum,* fauces, dentes,

* BOERHAAVE, Aph. 1491.

gingivas, cor, ventriculum, intestina. Hae quidem translationes morbo ipso longe periculosiores saepe brevi spatio trucidant.

Post dolorem corpore inchoatum, pars affecta tumescere, citoque rubescere incipit; scilicet inflammatione ad structuras externas proserpente, dolor internarum mitigatur partium, at non fugatur, quamvis jam quam olim magis fixus sit. Ad diem fortasse decimum quartum durabit, nec raro etiam ad vigesimum primum, licet ante saepius recedat. Ad hoc tempus, ut auctor est FREDERICUS HOFFMANN, pars affecta vehementer sudat; sed initio morbi pars dolens arida est, etiam quando caeterum corpus sudore perfunditur. Alii scriptores minus confirmant.

Raro in suppurationem transit, quidcunque de ea re magnus vir memoriae tradiderit,* atque in gangraenam adhuc rarius. Effusio quidem lymphae coagulabilis in telam

* CULL. Prim. Lin.

cellulosam, tendinumque thecas, naturalis, atque post resolutionem, constans Rheumatismi terminatio existit. Dividendum tamen inter morbum ipsum, atque sequelas morbi est. Rheumatismus ad cor, viscera, ac interna translatus, saepe suppurationem et ulcerationem generare visus est: licet ibi quoque lymphae effundendae magis faveat.

Vix unquam lethalis est, sanitatem vel arthrodyniam quasi metas suas naturales habet. Ad partes internas translatus metu plenus est, atque mortes valde subitas superinducere solet. Quid ABERCROMBIE de fine ejus in paralysin, hemiplegiam dixit, omni attentione dignum puto, sed hanc varietatem nunquam mihi contigit videre.

Terminationem ejus communem in arthrodynia breviter perstringere nunc liceat. Qui vero graphicam definitionem quam supra e CULLENO mutuatus sum, perlegerit, is non longam historiae ambagem desiderabit.

Debilibus, leucophlegmaticis, familiaris est, tamen nullos praeterit. Naturales corporis functiones non perturbat: ita quidem ut pyrexia, rubor, saepe quidem tumor partis dolentis absint. Dolor obtuse angit; motu primo exacuitur, continuato vero tandem insigniter levatur; ut nuper Edinensis quidam hac ratione Rheumatismum sanare aggressus sit. Molestia quaedam obscura perpetua articulum, etiam totum membrum vel regionem vexat: friget, torpet, neque causis idoneis adhibitis, naturaliter sudat: raris tantum exemplis sudor gelidus, tenax, effunditur. Porro dolor urget, frigore aucto: calore vero diminuitur, praesertim lecti vel vestium calore.

Leviora ejus exempla easdem fere partes ac Rheumatismus acutus occupant: sed magis articulos impetere videtur, et in gravioribus, articulos amplos praesertim afficit. Sedem subinde mutat, parte relicta nihilominus imbecilla rigida: ad arthrodyniam novam pronissima.

Diu plerumque, saepe ad vitae finem morbus trahit. Nonnunquam in paralysin vel subluxationem partis desinit; vix in hydrarthum*; anchylosin† Gregorii, et aliorum scriptorum, haud recuso.

DE CADAVERIS SECTIONE.

Longissima forma Rheumatismi ad vitam extremam durare solet. Hinc crebrae incidendi occasiones; sed si membranas incrassatas, induratas, vicinisque organis adhaerentes, glutinamentum densum quoddam tendinum vaginis infusum excipias, nihil est quod lectorem morari mereatur.

In Rheumatismo acuto mortes multo rariores, aliquando tamen obveniunt. His fere lymphae effusio minor est, caetera subsimilia, nec ab aliorum tumorum ingenio discrepantia.

---

* Cull. Prim. Lin. 448. † Consp. 581.

Postremo, si quando Rheumatismus ad organa interna regestus fuerit, signa communia inflammationis iis praestat. Pericardium, exempli gratia, rubet, laminâ lymphae coagulantis intus obtegitur, serum multum in cavitatem suam profundit, tandem puris nonnihil. Cor signa inflammationis vulgaria ostendit, vasculis turgidis, lympha effusa; et in casibus gravioribus ulcera purulenta.

DE CAUSIS.

1. Causae praedisponentes. Hae sunt temperamentum sanguineum, aetas florens, proclivitas haereditaria.

2. Excitantes sese in easdem species, ac nos supra morbum, dividunt.

Rheumatismi acuti sola causa frigus est. Hoc autem variis, propemodum infinitis fontibus originem ducit. *Conclavium enim calore* nostrûm inaequali fit, uti alia prae alia

corporis parte vehementer hyeme frigescat; aliâ quidem calescat.

Crebrae, atque ut mos jubet, figurae vestium mutationes, alia frigoris origo. Incauta quoque earundem depositio eodem pertinet. Coeli vero intemperies, et assiduae aëris vicissitudines, sive vertente anno, sive tempestate, longe principes Rheumatismi causae sunt. Vices enim omnes hoc vitium habent, ut vel irritabilitatem vasculorum augeant, vel lumina eorum constringant. Hinc imminutum frigus corpus succedenti algori praeparatum dat: auctum vero cutis vasa constringit, Rheumatismum affert. Minus igitur interest, an locus aliquis polo vel aequinoctio propior sit; sed an aër ejus vicissitudinibus sit obnoxius. Hinc multae terrae, soli propius admotae, ut Americanae, tamen, propter alternationes Rheumatismo infestantur: dum plagae Europae frigidissimae restant fere immunes.

Sed calor coeli frigusve non sola causa.

Aqua hygrometrica, quam supradictae mutationes aërem in corpus deponere cogunt, evaporata exinde novus refrigerationis fons evadit. Quin experimentis Clarissimi olim WELLS*, satis liquet, conditionem nubium, ac aliorum meteorum, frigus non tantum terrae, sed animalium maximopere afficere. Nubibus enim rarefactis vel ablatis, omnium rerum naturae superficies in coelum patulum calorem suum irradiat, atque ipsa pari passu refrigeratur. Hinc sequitur homines nubilo coelo utentes, ad Rheumatismum valde proclives existere debere.

Tantum de acuta morbi forma. Rheumatismus quidem chronicus, seu arthrodynia, originem saepissime ab acuto derivat sed postquam *semel* hic antecesserit ab aliis omnibus causis quae eum gignere modo

* *On Dew,* passim.

dixi. Praeter vero has ab ictu, nisu violento, vel subluxatione oriri potest nec raro, perinde ac Rheumatismus acutus, sine causa manifesta.

3. Causa proxima, vel theoria, secundum Boerhaavium, est, "Inflammatio in arteriis lymphaticis membranarum, quae ad ligamenta juncturarum, non tam saeva ut in suppuratione eat *." Eadem fere Culleno sententia fuit, sed ampliata. Credidit enim frigus spasmum in vasis minimis articulorum efficere, atque inde inflammationem quandam fibrarum et membranarum subsequi. Porro propter causam excitantem cito ablatam, inflammationem nec in gangraenam nec in suppurationem, quae alias terminationes ejus solitae sunt, desinere. Haec quidem sententia hodiernis plerisque medicis arridet; nisi forte Doctorem Balfour, Edinensem, excipias. Hic enim dila-

---

* Aph. 1493.

tationem quandam vasculorum accusat, qualem tundendo ac comprimendo haud difficulter se fugare credit.

Vetustiores opiniones e latebris suis producere supersedeo. Alii acrimoniam humorum, alii lymphaticorum vasorum, alii nervi inflammationem causati sunt, sed nemo satis probabili documento suffultus.

DE DIAGNOSI.

Rheumatismum distinguere oportet, a Podagra, Scorbuto, Lue Venerea, Periostitide, generatim, ab inflammationibus variis localibus speciatim. Primo de Podagra. Rheumatismus juvenes plerumque adoritur plenos, sanos, vigentes; otio autem et luxuria fractos senes podagra occupat. Haec a vitio haereditario, illa vix, aut ne centesimo quidem exemplo, pendet. Podagra porro

translationem, sed non eandem patitur; nam vix ab alio ad alium musculum transit sed potius ad partes internas. Febris Rheumatismi perpetua, Febris Podagrae crebris remissionibus interrupta. Causae porro valde diversae sunt. Sed conditio ventriculi maxima res est, nec temere aliquem fefellit. Raro in Rheumatismo incipiente stomachus laborat; rarissime in podagra, si unquam, integer est.

A doloribus scorbuticis distinguitur Rheumatismus, febre sua, pulsu fere praeter solitum valido; dum in scorbuto, color urinae lividus, computrescentis corporis signa, debilitas ingens prominent.

A syphilide distinguitur febre quae syphilidi fere nulla; situ doloris in Rheumatismo apud fines, in syphilide media apud ossa. Porro lecti calor syphilidem exasperat, alterum vero lenit.

A periostitide, eo quod calor compescat hujus, augeat prioris dolorem.

Inflammationes topicae sigillatim discriminandae sunt. Pneumoniam a pleurodynia febris et pressus distinguit: Nephritidem a lumbagine, urinalium ac genitalium affectus, morbum coxarium a sciatica, membri deformitas, febrisque hectica.

DE PROGNOSI.

De morbo aliquo praesagium bifariam respicere debet: ad periculum vitae necnon ad morbi probabilem curationem. Quod ad vitam attinet prognosis tutissima est: imo acuti Rheumatismi curatio raro fallere solet.

Contra si arthrodynia sit, quamvis medicina multum delinire valeat, raro sanatur; ideoque utcunque sospes sit vita cautissime de curatione prognosticare oportet.

Postremo si ad partes internas metastases fiant, summo periculo versatur aeger, praesertim si cor vel cerebrum impetus translationis corripuerit.

DE CURATIONE.

Medendi consilia duo se offerunt;

I. Morbi violentiam praesentem, sedare.

II. Morbi cursum, quantum liceat, intercipere.

Ad primum consilium laudata sunt sanguinis missio, purgantia, sedantia, epispastica, compressio; balneum frigidum, calidum, vaporarium; cinchona, arsenicum, abstinentia. De iis sigillatim breviter agendum erit. Sanguinis detractio omnium princeps remedium est. Plerumque una liberalis detractio, pro aegri aetate viribusque satis erit; sed si signa nihil leniora appareant, corpus robustum, juvenile, tuto iterabitur.

Nihilominus hoc validissimo remedio haud abutendum erit, quoniam corpus mire debilitet; nimium, non tantum morbum protrahit, sed proclivitatem ad arthrodyniam saepenumero gignat. Caute igitur post sanguinis quod satis sit vena abstractum, cucurbitam vel hirudines potius adhibeant: quorum quidem virtus aliqua specialis in morbis articulorum esse, multis creditur.

Ex omni hominum memoria, in morbis febrem acutam habentibus, usurpata sunt diaphoretica, tartras antimonii, et ipecacuana ad hunc usum maxime accomodari putantur; quippe quia nausea quam moveant, haud minus utilis videatur quam humorum ad cutem impetus. Tinctura guiaci simplex, vel ammoniata, acetas ammoniae, carbonas ammoniae, opium, aether sulphuricus, calomelas cum opio conjunctus, hunc ad finem suis laudibus non carent. Omnium vero optimum videtur renovatum nuper remedium balneum vaporarium, vel sulphureum.*

* Scott, Append.

Purgantia ambiguae efficaciae sunt; sed quando alvus adstricta est, vel ullo modo perturbata, exhiberi debent.

Sedantia.—Opium, digitalis, conium maculatum, hyoscyamus, et alia multa narcotica eo nomine adhibita ac laudata fuere. Opium sedat dolorem quidem, sed nimis stimulat, quapropter hyoscyamo et digitali proponendum. Refrigerantia et diluentia optime proficiunt. Digitalis in desuetudinem venit.

Cinchona etiam adhuc inter plures famam quam a Fordyce et Haygarth accepit, retinet.

Compressio, saltem pûlsatio, olim a Celso in articulorum dolore laudata, nuper a Doctore Balfour in antiquum honorem restituta fuit, multumque ampliata. Partem enim dolentem non ut Celsus vesica inflata pulsat, sed fascia lanea gyratim circumvolvit, inde actionem morbosam repressum iri autumat.

Quod arthrodyniam attinet, remediorum multitudo inertiam suam nimis aperte edocet.

Diaphoretica optima ; haec tamen supra dedimus.

Balneum frigidum, et sub divo exercitatio proxima his sunt ; imo, ut vere dicam, omnium plurimos sanatos praestant.

Stimulantia quoque multiplicia. Vapor aquae calidae antiquum remedium est, et recentiorum experientià probatissimum. Cucurbita sicca, olea stimulantia, maxime terebinthinae, vis electrica, balneum sulphureum saepe mire proficiunt, saepe spem omnino decipiunt.

Denique, roborantia omnia, coelum mite, aequabile ; cibus simplex, concoctu facilis, nutriens, exercitatio diurna, optimum prophylacticum constituunt. Tritum est et

fere anile adagium, "lanam ac patientiam" Rheumatismi unica esse remedia; harum vero prior si non remedium, saltem propugnaculum firmissimum contra novos impetus morbi praebet. Atmosphaeram quasi corpori circumjicit aëris calidioris, utque cutis spiret, sudor fluat ubertim, efficit.

FINIS.